



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Saba Abbas 5. Decemb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

uertenti Babinbergam auunculo clàm se soci-  
um adiunxit, atq; ibidem studia literarum au- *Alacritas*  
spicatus, in humanarum diuinarumq; rerum *in studijs.*  
cognitione per interualla temporum præcla-  
ros fecit progressus, ingeniumque pariter ac  
mores egregiè nobilitauit. Quicquid enim  
vel exercendo ingenio habile, vel moribus  
ornandis idoneum hauserat, alta mente repo-  
nebat. Quamobrem postea scholæ Babinber-  
gêsis magister effectus, probitatis ac virtutum  
cœpit fama passim florere, & Episcoporum ac  
Principum virorum fauore atq; amicitia ho-  
nestari. Quin etiam ab Henrico tertio Roma-  
norum Augusto in palatium assumptus, breui  
apud eum præ omnibus clericis, qui in aula  
morabantur, primum gratiæ & familiaritatis  
locum obtinuit, & demum Coloniensi episco-  
pato donatur. Quem ille incredibili in Deum  
pietate summa cum laude administrauit.

## EXEMPLVM S. SABAE ABBATIS.

5. Decemb. Sur. Tom. 6.

SAbas magnus planè vir & ineffabili Dei a-  
more incensus, è Cappadocia in vico Mu-  
talaſca oriundus, parentes habuit Ioannem &  
Sophiam, ambos genere & pietate claros. Na-  
tus autem decimoſeptimo consulatu Theodo-  
ſij, cum quintum ætatis ageret annum, paren-  
tibus eius Alexandriam necessario cômigran-  
tibus, ipse diuina prouidentia Hermiæ auun-  
culo relicus fuit: cuius vxor mulier impudēs

Hh 5 &amp; mo-

& morosa, cum frequentes adolescenti molestias excitaret, auunculo relicto ad patru usum Gregorium confugit: qui eum omni quidem humanitatis officio excepit, tractauitque benignè: sed orta mox inter patrum & auunculum eam ob rem dissensione, grauiore quam antè, pius adolescens animi ægritudine conflictari cœpit. Vnde arrepta occasione philosophico medicamine dolori suo mœdendi, statuit dimissis opibus mundi que delicias, cœlesti se totum tradere disciplinæ, & angelicam in humano corpore quietem æmulari. Neq̄ mora: Patria, cognatis, diuitijs, rebusq̄ alijs quæ maximè adolescentem delinire solent, relictis, ad monasterium Flauianæ, turissimum quietis portum confugit. Cumque à cognatis posita priore discordia ad deserendam monasticen, & patria hæreditate fruendum inuitaretur, maluit abiectus esse in domo Dei, quam splendido diuitiarum redundare apparatu. Videbat enim harum amatorem diuitem illum, vel sola egere gutta, quod quidem est paruum linguæ ardentis solatium: angustias autem & dolorum perpeffionem, ad beatum Abrahæ sinum atque interminatas felicitates deducere. Seipsum vero exercuit cum in alia omni abstinentia, tum vel maximè in ea, quæ ad gulæ pertinet compescendas delicias, & ventris nimiam curationem. Vnde cum hortum monasterij colens, pomorum delectabili caperetur aspectu, illectus cupiditate

*mundum  
deserit.*

*Abstinen-  
tia.*

tate manu quidem pomum decerpfit, sed mox insidias maligni suspicatus malum humi abiecit, & cum id pedibus conculcasset, cum pommo pariter cupidinem conculcavit: dolensq; quod vel vsque eò appetitioni obsecundasset, hanc sibi deinde legem imposuit, vt toto vitæ suæ tempore malo amplius non vesceretur. Atque ea admonitus cautione maligni deinceps suggestionibus confestim occurrebat: neque pestifera blandientis cupiditatis venena vel latum vnguem serpere patiebatur, ne momento dilata vires caperent: quæ postmodum magnis laboribus vix superari possent. Ab illo ergo tempore perpetuo in summa omnium rerû vixit abstinentia, somni tantum capiens quantum naturæ satis erat. Manus vero Sabæ nunquam quiescebant, sed quando non eas ad orationem extensas habebat, perpetuo opere distinebantur: ne si vel parumper relaxaretur cogitatio, clam non animadvertens sensim irreperet inimicus, seruiretque macerando corpori labor assiduus. Hac igitur prudentia totum vitæ cursum constanter moderatus ad consummatam monasticæ vitæ virtutumque omnium disciplinam peruenit:

& complurimis ante ac post mortem miraculis coruscavit.

*Cupiditas  
rem vincit*

*Prudentia*

*Orij fuga*